

diū Pontificii à Syriaca vel lingua vel versione expectare possunt. Alioquin Linguam Salvatori vernaculam Syriacam fuisse, recentissima est sententia virorum Clarissimorum, *Widmanstadii, Masii, Crinesii, Trostii, Guid. Fabricii, Andr. Sennerti, Jacobi Martini, Franzii Leusdemii &c.* quam quidem *Barth. Mayerus & Brianus Walthonus* impugnant, negantes, tempore Salvatoris Hierosolymis ac in vicinis locis Syriacam linguam in usu fuisse, & quidem his rationibus (1) quia voces, quæ in N. T. pro Syriacis venditentur, ex lingua Syriaca exponi non possint e. g. Matth. XXVII. 23.  $\gamma\omicron\lambda\gamma\alpha\theta\acute{\alpha}$  Syr.

$\text{ܩܠܘܢܐ}$  Marc. VII. 24  $\text{ܡܐܡܡܘܢܐ}$ , Syr.  $\text{ܩܠܘܢܐ}$

Joh. XIX. 13. (2) quod lingua Syriaca careat Dagesch forti, quod tamen in vocibus, quibus Christus & Apostoli usi e. g.  $\text{ܡܐܡܡܘܢܐ}$   $\gamma\alpha\beta\beta\alpha\tau\acute{\alpha}$   $\rho\alpha\beta\beta\acute{\iota}$   $\alpha\beta\beta\acute{\alpha}$  &c. deprehendatur (3) quod Targum & Talmud Hierosolymitanâ, diversâ à Syriacâ vel Maronitica Dialecto sint conscripta. Verum ad has rationes eruditè respondet *Dn. D. Pfeifferus* *Introduct. in Orient. pag. 23.* & quidem ad (1) voces istas ex linguâ Syriacâ optimè explicari posse, cum earum Themata illic extent omnia. Nec formam adeò discrepare, si modo obs. (a) Dsekopho Syrorum per Kametz Ebræorum efferendum esse (b) Scheva apud LXX & autores N. T. nullum fixum habere sonum, sed sæpe ad sequentem vocalem se conformare (c) Nomina propria rarò suam retinere formam, cum in alias linguas transferuntur. Ita conciliari potest Gr.  $\tau\alpha\lambda\iota\theta\acute{\alpha}$  cum Syr. Telito, Gr.  $\gamma\alpha\beta\beta\alpha\tau\acute{\alpha}$  cum Syr. Gephipto Ad (2) resp. autor laudatus, quanquam Syri careant Dagesch. forti, geminari tamen literam nonnunquam Euphoniæ causa ut in  $\sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}$  pro  $\text{ܩܠܘܢܐ}$  Ad [3] Ex Talmud Hierosolymitano non adeo infallibiliter de linguâ tempore Christi Hierosolymis vernacula judicari posse, cum A. C. 230. nemum confectum sit. Targum autem esse recentioris ævi. Tandem addit: Tota controversia dirimi facilè potest, si distinguatur inter Linguam Syriacam in debita latitudine sumptam & Dialectum Maroniticam, quæ hodiè  $\kappa\alpha\tau' \epsilon\lambda\theta\chi\eta\iota$  Syriaca dicitur. Lingva Syriaca latius olim patuit & in diversas discreta est Dialectos, quas inter & Hierosolymitana fuit, ut ut ergò ea Dialectus, quam hodiè Maronitæ excolunt, Salvatori vernacula non fuisset, exinde tamen negari nequit, locutum eum esse Syriacè & linguam Syriacam sanctissimo ore suo  
confe-